



Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Themin In Aede Sapientiae. Theses legales memorat fuisse à Io:
Angelo, Ducis Altaempsij filio, & Alexandri P.M. Cubiculario secreto,
perdocte in Aula maxima Sapientiæ propugnatas, cum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Principibus altis ire miratae parem ,
 Magno sub astra nomine .
 Quid, quod supremis Chisiorum montibus
 Afflare lucem credimur ?
 Ambiuit ergo Roma doctorem suum ,
 Phœbi potentem & Mercuri ;
 Ambiuit almæ porticus Sapientiæ
 Mercede inauditâ prius .
 Nec liuor indè rodit ullus aduenam ,
 Omnesquè cùm plausu colunt .
 Odia Siren, clara virtutis comes ,
 Et vos duces, Loiolidae !
 O efficax vis sapere Bœotos quoquè ,
 Vbi allaborandum est simûl ?
 Utique gratus muneri acceptum fero ;
 Si liçeat, & soluam vices .
 Quod Latia pubes extero assurgit mihi ,
 Suumquè sermonem refert :
 Quod & leporis volito notus Artici ,
 Vestrum est, & æternum deçus .

A D T H E M I N I N A E D E S A P I E N T I A E .

Theses legales memorat fuisse à Io: Angelo , Ducis Al-
 taempſij filio , et Alexandri P. M. Cubiculario se-
 creto, perdoctè in Aula maxima Sapientiæ propugna-
 tas , cum magnificissimo ipsiusmet Pontificis , cui
 dicauerat easdem , apparatu .

O D E II.

P lacata tandem deuolat cœlo Themis ,
 Terramquè rursus incolit .
 Quinimò Alexandro beata principe
 Offendit in terris polum .
 Nam quæ supernas res duæ illustrant plagas ,
 Adoreca & Sapientia ,

Vrram-

158 IAC. ALB. GHIBRESI

Vtramque miro, Diua, consensu tenes
Infrà residentem tibi,
Hoc orbis oculo, iurè virtutis Pharo,
Hac vrbe teste Romuli.
Lux hæc theatrum numini fecit tuo,
Quod inuideret Terminus
Louis sodalis, rupe Tarpeiâ manens,
Cùm turba migrâss'et Deûm,
Quatiente pennas tequè. Nam commercium
Fugere nostrum cœlites.
Sed melior ætas seculum felicius
Tulit sub astro Chisio.
Redière mores aurei mortalibus,
Redière læti cœlites.
Ius fasquè regnat, postquam Alexander iubet,
Frœnator orbis maximus.
Nouos honores ipsa te maior, THEMIS,
Vt sanxit hic Solon, stupes.
Quod cordi amicum, Sophia regales parens
Induta cultus excipit.
Quisquamne cœlum deneget, si construunt
Et Pontifex, & Angelus?

S. VVENEFRÆ BRITANNÆ,
VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Cuius dies festus mirifico apparatu musices & pictura d
Marchione Somersetto, in Collegio Anglorum Roma-
no, splendidissimè celebratur. X. Cal. Quintil. 1662.

ODE III.

Britanna Virgo restitit viriliter
Sæuis Cadoci machinis,
Contra pudorem quas librat princeps malus,
Christoquè despontam fidem.
Ergò cruento messuit ferro caput
Adulteri haud passus moras.